

HARVARD UNIVERSITY
THE DIVINITY SCHOOL

Latin Qualifying Exam, September 2011

You may use one dictionary and you have one hour to finish. In your translation, stick to the text as closely as possible.

From a homily by Irimbert of Admont

Piscatores autem descenderant et lavabant retia. Piscatores isti nos sumus, qui in his duabus navibus laborare debemus, ut tale quid agamus et operemur, quod Domino Deo nostro gratum et acceptum, et nobis salubre ac proficuum sit. Quam tamen piscationem non nisi *descendendo*, id est humiliando nos possumus perficere. Omnia enim bona nostra in profunda cordis humilitate debent consummari. Post haec *lavari* debent *retia*, quod sunt, ut video, sensus nostri. Retia autem lavare est pollutos sensus peccatis, fletibus emundare. Lotis vero retibus, id est emundatis a peccatis sensibus nostris, bene in typum eorum, quae intra nos Dominus gerit, subjungitur.

*Ascendens autem in unam navim, quae erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum. Per unam navim, quae erat Simonis, qui dicitur obediens, potest anima hominis intelligi, quae se Deo devovit, et ejus mandatis obedire proponit. In unam hanc navim Dominus potius *descendere* quam ascendere, ut mihi videtur, dici potuisset. Omnis enim gratia ejus ad nos desursum descendit; sed per suum descensum ad nos, ad se ascendere facit nos.*

HARVARD UNIVERSITY
THE DIVINITY SCHOOL

Latin Qualifying Exam, April 2012

You may use one dictionary and you have one hour to finish. In your translation, stick to the text as closely as possible.

From a homily by Irimbert of Admont

HARVARD UNIVERSITY
THE DIVINITY SCHOOL

Latin Qualifying Exam, April 2012

You may use one dictionary and you have one hour to finish. In your translation, stick to the text as closely as possible.

From a homily by Irimbert of Admont

Ascendens autem in unam navim, quae erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum. ...
Pusillum est ergo peccata relinquere. Sed illud pusillum magnum quodammodo fit, quando etiam voluntates et desideria peccandi relinquere incipit.

Nec praetereundum quod dicitur *rogavit*. Quosdam Dominus tanquam pius, tanquam mansuetus *rogat*, quosdam districte venire ad se compellit. Illos enim quodammodo *rogat*, quos sua solummodo visitatione et amabili dulcedine, absque omni mundi istius confusione, ad se de saeculo conversos venire facit; illos vero, ut ita dicam, compellit, quos diu renitentes, aut infirmitate, sive aliqua alia adversitate emergente tandem mundi contemptores et sui amatores efficit.

Quo facto *sedens* incipit *docere de navicula turbas*. Sessio ista requiem Dei, quam ei a peccatis quiescendo, et pro peccatis nos humiliando facimus, designat. In qua sessione vel requie *docet de navicula*, hoc est de humiliata anima *turbas*, turbatos videlicet sensus hominis, qualiter seipsos recognoscere et deflare, et Deo satisfacere debeant. Ista omnia, quae modo diximus, fiunt per spiritum timoris.

HARVARD UNIVERSITY
THE DIVINITY SCHOOL

Latin Qualifying Exam, April 2011 (for January 2011)

You may use one dictionary and you have one hour to finish. In your translation, stick to the text as closely as possible.

From a homily by Irimbert of Admont

Creavitque Deus cete grandia et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquae in species suas, et omne volatile secundum genus suum. Videtur mihi per haec tria tres ordines posse notari, quos Deus omnipotens in Ecclesia ordinavit, atque constituit. Per cete grandia carnales; per animam viventem et motabilem spirituales; per omne volatile praelatos. Quia enim cete abundant carnibus, bene per cete grandia carnales et saeculares possunt accipi, per animam viventem et motabilem spirituales. Quod non dicit mobilis, sed motabilis, per hoc designat nobis quemdam bonum motum, qui fit in homine, quia verbum hoc mobilis et in malo et in bono; motabilis vero raro nisi hic invenitur, et in bono accipi potest. Creavit itaque Deus cete grandia, quia saeculares et carnales in eo quo sunt ordine vult esse et bene esse. Non enim omnes spirituales possunt esse. Creavit etiam omnem animam viventem atque motabilem, id est spirituales, quorum anima non nobilis, sed motabilis sit quia bene anima illa motabilis dicitur, quam totam, ut ita dicam, Deus movit, quam de peccatis ad bona et sancta opera, de spiritu timoris ad spiritum amoris misericorditer promovit.*

*cete = whales, neuter plural

182, but including repetition

HARVARD UNIVERSITY
THE DIVINITY SCHOOL

Latin Qualifying Exam, April 2011

You may use one dictionary and you have one hour to finish. In your translation, stick to the text as closely as possible.

From a homily by Irimbert of Admont

Stat autem Dominus *juxta stagnum Genesareth*, quod interpretatur, *generans sibi auram*, dum per hanc stantem compunctionis aquam, ipso Domino adjuvante, generat sibi homo auram, id est spem aeternae salutis quia hac aqua stabilis poenitentiae datur ei spes perpetuae tranquillitatis et pacis.

Et vidit duas naves stantes secus stagnum Genesareth. In *duabus navibus* istis interior et exterior homo noster valet intelligi. Hae duae naves *stant secus stagnum*, quando statum quemdam homo sibi facit, seipsum cognoscendo et in poenitentia perseverando quia, etsi sunt, qui peccata sua recognoscunt, sed si in poenitentia non perseverant, secus stagnum nullo modo stant. Hi vero secus stagnum sunt stantes, qui velut in stagno sive aqua limpidissima seipsos clare intuentes, quid in corpore, quid in anima peccati contraxerunt, recognoscunt, et quidquid illud est quod peccaverunt, stabili poenitentia satisfacere proponunt. Hoc *videre* dicitur Deus quia hoc diligit Deus, hoc bene placitum est in oculis ejus. Sic secus stagnum stantes, id est in vera poenitentia perdurantes, veri et boni illi piscatores fiunt.

HARVARD UNIVERSITY
THE DIVINITY SCHOOL

Latin Exam, September 2010

You may use one dictionary. In your translation, stick to the text as closely as possible.
Translate the following passage, including title, from a sermon of St. Bernard of
Clairvaux on the Song of Songs.

De osculo pedis, manus et oris Domini, etc.

5. Jam tandem in osculis duobus geminum habens divinae dignationis experimentum, forsitan non confunderis praesumere sanctiora. Quantum quippe crescis in gratiam, tantum et in fiduciam dilataris. Inde fit, ut et ames ardentius, et pulsos fidentius pro eo quod tibi deesse sentis. Porro pulsanti aperietur. Jam summum illud, quodcunque est summae dignationis et mirae suavitatis osculum, credo non negabitur sic affecto. Haec via, hic ordo. Primo ad pedes procidimus, et ploramus coram Domino qui fecit nos, ea quae fecimus nos. Secundo manum quaerimus sublevantis, et roborantis genua dissoluta. Postremo cum ista multis precibus et lacrymis obtinemus, tum demum audemus forsitan ad ipsum os gloriae caput attollere, pavens et tremens dico, non solum speculandum, sed etiam osculandum; quia spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, cui adhaerentes in osculo sancto, unus spiritus ipsius dignatione efficimur.

Tibi, Domine Jesu, tibi merito dixit cor meum: Exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram.

HARVARD UNIVERSITY
THE DIVINITY SCHOOL

Latin Qualifying Exam, September 2010

You may use one dictionary and you have one hour to finish. In your translation, stick to the text as closely as possible.

From a homily by Irimbert of Admont

Cum turbae irruerent in Jesum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth. (Luke 5) Turbae istae, quae irruunt in Jesum, turbatos in poenitentia hominis sensus non incongrue exprimunt. Nam quandiu homo peccata diligit, peccatis congaudet, nequaquam turbatos ad poenitentiam sensus habet. Cum vero, supernae miserationis gratia se visitante, ante oculos mentis praeterita peccata sua reduxerit, et pro eidem illicitis actibus, quae commisit, turbari et affligi per spiritum timoris incipit, hoc est quodammodo turbas irruere in Jesum. ... *Ut audiant verbum Dei*, hoc est, ut per verbum et praecepta Dei doceantur, quomodo ad eum pervenire valeant, qui est Verbum Dei Patris.

Et notandum quod *irruerunt* in eum quia per hoc innuitur, ut quemadmodum aliquando ad peccata proni et veloces exstitimus, tantum nunc festini et strenui auditores esse debemus verbi Dei. Sed quia per seipsum nihil homo habet, vel per se agere valet, recte subjungitur: *Et ipse stabat*, id est Dominus stare incipiebat, *secus stagnum Genesareth.*

HARVARD UNIVERSITY
THE DIVINITY SCHOOL

Latin Exam, April 2010

You may use one dictionary. In your translation, stick to the text as closely as possible. Translate the following passage from a sermon of St. Bernard of Clairvaux on the Song of Songs.

De osculo pedis, manus et oris Domini, etc.

Tibi, Domine Jesu, tibi merito dixit cor meum: Exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram. Nempe auditam fecisti mihi mane misericordiam tuam, cum jacenti primum in pulvere, tuaque deosculanti reverenda vestigia, quod male vixeram remisisti. Porro in progressu diei laetificasti animam servi tui, cum deinde in osculo manus etiam bene vivendi gratiam indulsisti. Et nunc quid restat, o bone Domine, nisi ut jam in plenitudine lucis, in fervore spiritus ad oris quoque osculum dignanter admittens, adimpleas me laetitia cum vultu tuo? Indica mihi, o suavissime, o serenissime, indica mihi ubi pascis, ubi cubas in meridie. Fratres, bonum est nos hic esse; sed ecce advocat nos diei malitia ... Ego exhibeo ad hospites, ne quid desit officiis ejus, de qua loquimur, charitatis, ne forte et de nobis audire contingat: *Dicunt enim, et non faciunt* (Matth. XXIII, 3). Vos orate interim, ut voluntaria oris mei beneplacita faciat Deus ad vestram ipsorum aedificationem, et laudem et gloriam nominis sui.

HARVARD UNIVERSITY
THE DIVINITY SCHOOL

Latin Exam, September 2009

You may use one dictionary. In your translation, stick to the text as closely as possible.
Translate the following passage, including title, from a sermon of St. Bernard of Clairvaux on the Song of Songs.

De osculo pedis, manus et oris Domini, etc.

1. Hodie legimus in libro experientiae. Convertimini ad vos ipsos, et attendat unusquisque conscientiam suam super his quae dicenda sunt. Explorare velim, si cui unquam vestrum ex sententia dicere datum sit: *Osculetur me osculo oris sui* (**Cantic. I, 1**). Non est enim cujusvis hominum ex affectu hoc dicere; sed si quis ex ore Christi spirituale osculum vel semel accepit, hunc proprium experimentum profecto sollicitat, et repetit libens. Ego arbitror neminem vel scire posse quid sit, nisi qui accipit: est quippe manna absconditum; et solus qui edit, adhuc esuriet. Est fons signatus, cui non communicat alienus; sed solus qui bibit, adhuc sitiet. Audi expertum, quomodo requirit. *Redde mihi*, inquit, *laetitiam salutaris tui* (**Psal. L, 14**). Minime ergo id sibi arroget mei similis anima, onerata peccatis, suaeque adhuc carnis obnoxia passionibus, quae suavitatem spiritus necdum senserit, internorum ignara atque inexperta penitus gaudiorum.

HARVARD UNIVERSITY
THE DIVINITY SCHOOL

Latin Exam, May 2009

You may use one dictionary. In your translation, stick to the text as closely as possible.
Translate the following passage from a sermon of St. Bernard of Clairvaux.

De duplici charitate, scilicet actuali et affectuali; et ejus ordinatione.

2. Est charitas in actu, est et in affectu. Et de illa quidem quae operis est, puto datam esse legem hominibus, mandatumque formatum: nam in affectu quis ita habeat, ut mandatur? Ergo illa mandatur ad meritum, ista in praemium datur. Cujus initium quidem, profectumque vitam quoque praesentem experiri divina posse gratia non negamus; sed plane consummationem defendimus futurae felicitati. Quomodo ergo jubenda fuit, quae implenda nullo modo erat? ... Quis enim sibi arrogare id audeat, quod se Paulus ipse fatetur non comprehendisse? (Philipp. III, 13.) ... Ergo mandando impossibilia, non praevaricatores homines fecit, sed humiles, *ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo; quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo* (Rom. III, 19, 20). Accipientes quippe mandatum, et sentientes delictum, clamabimus in coelum, et miserebitur nostri Deus: et sciemus in illa die, quia *non ex operibus justitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit* (Tit. III, 5).

HARVARD UNIVERSITY
THE DIVINITY SCHOOL

Latin Qualifying Exam, May 2008

You may use one dictionary and you have one hour to finish. Translate the following passage from a sermon of St. Augustine on what constitutes happiness. **In your translation, stick to the text as closely as possible.**

18. *Felicitas non in temporalibus ponenda.* Itaque, fratres, si vultis parati esse ad sequendam voluntatem Dei, quod vobis dicimus, et nobis primum dicimus; imo omnibus dicit ille, qui securus dicit: si volumus parati esse ad sequendam voluntatem Dei, non amemus ista quae transeunt, non putemus ipsam esse felicitatem, quae dicitur in hoc saeculo. Hoc enim putabant illi alienigenae; totam felicitatem in rebus temporalibus, totam suavitatem in umbra ponebant, non in ipsa luce, non in ipsa veritate. Ideo in isto psalmo, qui *ad Goliath* est, attendite posteriora Psalmi: omnino lucidissimis verbis et enodatissimo sermone, qui non quaerat interpretem aut expositorem; sed misericordia Dei ita sunt posita, ut nemo dicat, Ecce hoc quomodo voluit dixit, et pro ingenio suo interpretatus est, sensit ut voluit: sic sunt posita, ut nemo se excuset. Posita sunt autem a David dicente, id est, a nova vita, Christi vita, vita quae per Christum nobis data est.

**HARVARD UNIVERSITY
THE DIVINITY SCHOOL**

Latin Exam, September 2007

You may use one dictionary. In your translation, stick to the text as closely as possible.
Translate the following passage from a sermon of St. Augustine.

**SERMO XXXII . *In Psalmum CXLIII. De Golia et David, ac de
contemptu mundi .***

1. *Medicamenta in Scripturis divinis.* Deus et Dominus noster curans et sanans omnem animae languorem, multa medicamenta protulit de Scripturis sanctis, velut de quibusdam armariis suis, cum lectiones divinae legerentur; quae per ministerium nostrum adhibenda sunt vulneribus nostris. Non enim sic nos esse profiteamur pueros medici, per quos alios sanare dignetur, ut nos ipsi jam non habeamus necessariam curationem. Si in illum intendamus, si ei nos toto corde praebeamus curandos, omnes sanabimur. Multa lecta sunt, et magna, et necessaria; quanquam ita sint omnia: sed tamen alia secretius in Scripturis absconduntur, ut quaerentes exerceant; alia vero in promptu et in manifestatione ponuntur, ut desiderantes curent. Psalmus hic magna quidem secreta continet, quae si omnia singillatim tractare voluerimus, vereor ne non ferat communis infirmitas; sive propter aestus temporales, sive propter corporis vires, sive propter intelligentiae tarditatem, sive etiam propter ipsam minus idoneam sufficientiam nostram. Pauca ergo inde delibabimus, quantum existimamus sufficere officio nostro, et intentioni Charitatis vestrae.

**HARVARD UNIVERSITY
THE DIVINITY SCHOOL**

Latin Exam, September 2007

You may use one dictionary. In your translation, stick to the text as closely as possible. Translate the following passage from a sermon of St. Augustine on the necessity for a good way of life.

***Conversatio* in this context means way of life!**

11. *Non sufficit bona conscientia, si est negligens coram hominibus conversatio.* Est aliud in his verbis, quod non absurde potest intelligi. Sunt homines qui putant sibi in bene vivendo sufficere conscientiam, et non valde curant quid de illis alter existimet; ignorantes quia cum homo viderit hominem bonae conscientiae negligentius viventem, passim se cuilibet et ubilibet conjungentem, habentem scientiam quod nihil sit idolum, et tamen in idolio recumbentem, conscientia illius cum sit infirma, aedificatur non ad ea quae perscrutatur, sed ad ea quae suspicatur (**I Cor. VIII, 10**). Neque enim homo par tuus, frater tuus, intrare potest in conscientiam tuam, quam novit Deus. Conscientia tua coram Deo est, conversatio tua coram fratre tuo: si de te ille aliquid mali suspicans, perturbatus aedificatur ad aliquid faciendum quod te putat facere, cum sic vivis; quid prodest quia venter conscientiae tuae hausit aquam puram, et ille de tua negligenti conversatione bibit turbatam ?

HARVARD UNIVERSITY
THE DIVINITY SCHOOL

Latin Qualifying Exam, May 2007

You may use one dictionary and you have one hour to finish. In your translation, stick to the text as closely as possible.

From Gregory the Great, *Moralia in Iob*

PRAEFATIO

1. 1. Inter multos saepe quaeritur, quis libri beati Iob scriptor habeatur. Et alii quidem Moysen, alii unum quemlibet ex prophetis scriptorem huius operis fuisse suscipantur. ... Nonnulli uero, ut dictum est, scriptorem huius operis unum quemlibet de prophetis arbitrantur asserentes quod nullus tam mystica Dei uerba cognoscere potuit, nisi cuius mentem prophetiae spiritus ad superna subleuauit.

2. Sed quis haec scripserit, ualde superuacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda dictauit. Ipse scripsit, qui et in illius opere inspirator exstitit et per scribentis uocem imitanda ad nos eius facta transmisit. ... Cum ergo rem cognoscimus, eiusque rei Spiritum sanctum auctorem tenemus, quia scriptorem quaerimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras, de calamo percontamur?